

## De Naphtha.

CAP. CV.

\* natura naphtha

**S**imilis est \* natura naphthæ: ita appellatur circa Babyloniam, & in Austagenis Parthiæ profluens, bituminis liquidi modo. Huic magna cognatio ignium, transfiliuntq; protinus in eam vndecunq; visam. Ita ferunt à Medea pellicem crematam, postquã sacrificatura ad aras accesserat, corona igne rapta.

## De semper ardentibus locis. CAP. CVI.

**V**erum in montium miraculis, ardet Aethna noctibus semper, tantoq; suo ignium materiae sufficit, nivalis hybernis temporibus, egestiq; cinerem pruinis operiens. Nec in illo tantum natura sanit, exustionem terris denuncians: Flagrat in Phaselide mons Chimæra, & quidem immortalibus ac noctibus flama. Ignem eius accendi aqua, extinguere vero terra aut feno, Gnidius Ctesias tradit. Eadem in Lycia Hephæstij montes, tæda flammante tacti, flagrant adeo, ut lapides quoq; riuorum & harenæ in ipsis aquis ardeat: aliturq; ignis ille pluuiis. Baculo si quis ex ijs accenso traxerit sulcos, riuos ignium sequi narrat. Flagrat in Baetris Cophati noctibus vertex. Flagrat in Medis & Cestia gente cõsino Persidis: Susis quidem ad turrim albã, è XV. caminis, maximo eorum & interdium. Cæpus Babylonie flagrat, quadam veluti piscina iugeri magnitudine. Item Aethiopum iuxta Hesperium montem, stellarum modo campi noctu nitent. Similiter in Megalopolitanorum agro, tametsi internus sit ille iucundus, frondemq; densi supra se nemoris non adures, & iuxta gelidum fontem semper ardet. Nymphæi crater dira Apolloniatis suis portendit, ut Theopompus tradit. Augetur imbribus, egeritq; bitumen, temperadum fonte illo ingustabili, alias omni bitumine dilutius. Sed quis hæc miretur? in medio mari Hiera insula Aeolia iuxta Italiã cum ipso mari arsit per aliquot dies sociali bello, donec legatio senatus plauit. Maximo tamen ardet incendio Theon Ochema dictum, Aethiopum iugum, torrentesq; solis ardoribus flammam egerit. Tot locis tot incendijs rerum natura terras cremat.

## Ignium per se miracula. CAP. CVII.

**P**æterea cum sit huius unius elementi ratio facunda, sequi ipse pariat, & minimis crescat scintillis, quid fore putandum est in tot rogis terra? Quæ est illa natura, quæ voracitate in toto mundo audissimam sine damno sui pascit? Addantur ijs sidera innumera, ingensq; sol. Addatur humani ignes, & lapidum quoq; insiti natura, attrita inter se ligna, iam nubium & originis fulminum. Excedit profecto omnia miracula, vltimum diè fuisse quo non cuncta conflagrarent: cum specula quoq; concava aduersa solis radijs facilius etiam accendantur, quam vllus alius ignis. Quid quod innumerales parui, sed naturales scatent? In Nymphæo exit è petra flamma quæ fluuijs accenditur. Exit & ad aquas Scantias. Hæc quidem inualida cum transit, nec longe in alia durans materia. Viret æterno hunc fontem igneum cõtogens fraxinus. Exit in Mutinensi agro stans Vulcano diebus. Reperitur apud auctores, subiectis Aricia

aruis, si carbo deciderit, ardere terram. In agro Sabino & Sidicino vntum flagrare lapidem. In Salentino oppido Egnatia, imposito ligno in saxum quoddam ibi sacrum, protinus flammam existere. In Laciniæ Iunonis ara sub dio sita, cinerem immobilem esse, præstantibus vndiq; procellis. Quin & repetinos ignes existere, et in aquis, & in corporibus etiam humanis. Trasymenum lacum arfisse totum: Seruio Tullio dormienti in pueritia, ex capite flammam emicuisse: L. Marcio in Hispania interemptis Scipionibus concionanti, & milites ad vltionem exhortanti, arfisse simili modo, Valerius Antius narrat. Plura mox & distinctius. Nunc enim quadam mixtura rerum omnium exhibentur miracula. Verum egressa mens interpretationem naturæ, festinat legentium animos per totum orbem veluti manu ducere.

Terræ vniuersæ mensura, longitudo, & latitudo.

CAP. CVIII.

**P**ars nostra terrarum, de qua memoro, ambientem (ut dictum est) oceano velut innatas, longissime ab ortu ad occasum patet, hoc est, ab India ad Herculis columnas Gadibus sacratas, octuagies quinquies cetera septuaginta octo M. pass. ut Artemidoro auctori placet. Vt vero Isidoro, nonagies octies cetera & decem & octo M. Artemidorus adiicit amplius, à Gadibus circuitu sacri promontorii ad promontorium Artabrum, quo longissime frons procurrit Hispania, octingenta M. nonaginta annuum. Id mensura, duplici currit via. A Gæge amne ostioq; eius, quo se in Eoum oceanum effundit, per Indiam Parthyenemque ad Myriandrum urbem Syriæ, in Isico sinu positam, quinquagies bis centena quindecim M. pass. Inde proxima navigatione Cyprum insulam, Patara Lyciæ, Rhodum, Astypaleam, in Carpathio mari insulas, Laconice Tenarum, Lilybaeum Siciliæ, Calarim Sardinia, tricies quater centena quinquaginta M. Deinde Gades quatuordecies centena & quinquaginta M. pass. Quæ mensura vniuersa ab Eoo mari efficit octogies quinquies centena lxxviij. M. pass. Alia via quæ certior, itinere terreno maxime patet, à Gange ad Euphratem amnem quinquagies centena M. pass. & xxi. Inde Cappadociæ Mazaca c. c. M. xliiij. Inde per Phrygiam, Cariam, Ephesum cccc. M. pass. xcviij. Ab Epheso per Aegeum pelagus Delum ducenta M. Isthmum ducenta duodecim M. Deinde terra & Laconico mari & Corinthiaco sinu Patras Peloponnesi ducenta duo M. quingenti: Leucadem lxxxvi. milia quingenti: Corcyram totidem: Acroce raunia centum trigintaduo milia quingenti: Brundisium lxxx. sex milia quingenti: Romam ccc. milia lx. Alpes vsq; ad Cincomagum vicum d. xviii. M. Per Galliam ad Pyreneos montes Illiberim quingenta quinquaginta sex M. Ad oceanum & Hispaniæ oram trecenta trigintaduo M. Traiectu Gadis septem milia quingenti. Quæ mensura \* Artemidori ratione efficit octuagies sexies cetera octogintaquinq;. Latitudo autem terra à meridiano situ ad septentriones, dimidio fere minor colligitur

\* Artemidoro attestate